



X 450

DISPUTATIO LOGICA  
DE  
PRÆDICAMENTO  
QUALITATIS,

*Quam*

*JUVANTE DEO,*

PRÆSIDE

M. JOHANNES KOBIO, Logi-  
ces & Metaphysices in Academia Altorphi-  
na Norimbergensium Professore Publico, &  
p. t. Collegij Philosophici  
Decano,

*Publici exercitij causa defen-  
dere conabitur*

JOHANNES GABRIEL Müller  
ALFELDO-NORICUS.

*Ad diem 23. Martij.*

ANNO M. DC. XXIII.



X 150 (7)

ALTDORFII,

*Typis exscripsit Balthasar Scherffius,  
Universitatis Typographus.*

V I R O

*Integerrimo ac Spectatissimo*

DN. JOHANNI CONRADO  
Weinmann/ Civi ac Mercatori Noribergen-  
si primario, Patrono meo insigni, &  
studiorum meorum Promo-  
tori optimo, opta-  
tissimo,

*Disputationem hanc Logicam in per-  
petuum perpetuae gratitudinis  
monumentum,*

Offero & devoveo

JOHANNES GABRIEL Müller/  
RESPONDENS.



DISPUTATIO LOGICA  
DE  
PRÆDICAMENTO  
QUALITATIS.

THESIS I.

**S**apienter non minùs quam cordatè  
Vincentius Justinianus, Lib. 3. Comm. Sui  
in univers. Logicam. Quamvis, inquit,  
non ita debeamus esse *αμείβοδοι*, ut in rebus  
pertractandis nullam adhibeamus diligentiam, nul-  
lum ordinem; veluti si antiquum illud chaos restitue-  
remus: Tamen non adeò methodicos nos esse decet,  
ut importunâ quâdam morositate veteres impugne-  
mus, quare hoc prius, illud posterius tractaverint, præ-  
sertim cum de minutissimis rebus agitur.

II.

Quæ vincenrij verba utinam ad animum meliùs re-  
vocarent illi, qui, dum in Categoriarum explicatione  
sunt occupati, in rationem ordinis scrupulosiùs inqu-  
runt, & Aristoreli vel ex eo, quod *πρὸς τὴν* Qualitati,  
relata absoluto anteposuit, dicam scribunt.

III.

Quod si enim, ut jam alibi sæpè monuimus, rudi-  
ter pleraq; & *κατὰ δόξαν* tantum in prædicamentali isto  
tractatu

tractatu tradita & exposita sunt: æquum profectò  
erat, in bonâ aliquâ ordinis ratione, quamvis non tali  
fortè, quæ nullo prorsus pacto impugnari queat, ibi-  
dem acquievisse.

IV.

Sanè, non defuisse penitè Aristoteli ea, quæ ad  
aliquid sunt, Qualitatis Categoriæ præmittendi ratio-  
nes, fideles ejus Interpp. non infeliciter hætenus docu-  
erunt.

V.

Nos uti ordinem istum vituperare nec possumus,  
nec volumus: ita contra piaculū aut nefas esse non cre-  
dimus, si quis contraria procedat via. Id quod certè nos  
bonâ philosophi pace, citraq; ullam superstitionem in  
præsentiâ facturi sumus, proponendo ad disputandum  
hâc vice qualitatis doctrinam: alteram, quæ Relato-  
rum est, sequenti συζητησὶ reservaturi.

VI.

Cum verò ex præscripto Philosophi in Metaph.  
disputaturos unâ ante omnia de nomine convenire  
oporteat; ne rebus neglectis, de verbis contentiones  
orientur: ὁμωνυμίας Qualitatis initio operæ pretium  
erit aperire.

VII.

Sumitur autem nomen Qualitatis i. generalissimè  
& latissimè pro omni eo, quod modum habet prædi-  
candi in Quale, quo modo omnia accidentia dicuntur  
qualia, etiam differentiæ Substantiarum. Secundò  
Species ac genera substantiarum, omniaq; Universalia  
qualitatem notant cap. de subst. & 7. Metaph. t. 48.

Tertiò

VIII.

Tertiò deniq; , ut hoc loco, vox Qualitatis accipitur proprijsimè, ac strictissimè, prout peculiare quoddam Prædicamentum constituit, contradistinctum à reliquis novem generibus; estq; nihil aliud quàm id, secundum quod res purè, absolutè & simpliciter quales denominantur, non quales quoti, quales alicubi &c:

IX

Continet hoc de QUALITATE caput tria membra. Primum tradit enumerationem & explicationem specierum. II. Ipsum Quale seu qualitatis paronymum explicat. III. tria consequentia.

X.

Species qualitatis crassè & ad vulgi sensum quatuor hoc loco enumerat Philosophus, easq; omnes ac singulas binomines. 1. Est ἕξις καὶ ἀφ᾽ ἑσῆς. 2. Φυσικὴ δύναμις καὶ ἀδυναμία. 3. ποιότης παθητικὴ καὶ παθητικόν. 4. Denique σχῆμα καὶ μορφή.

XI.

Dixi crassè, & ad vulgi sensum: quia, si Analyticè & ad artificis stateram examinare rem velimus, duæ tantùm verè qualitatis species cum Piccolomineo, non quatuor statuendæ erunt: Patibilis nempè qualitas & figura.

XII.

Priores namq; duæ cum à posterioribus reipsâ non differant, sed modi tantum earum sint & habitudines quædam ad externa; illæ in scholâ acroamaticâ jure optimo ad has reducuntur.

A 3

Non

XIII.

Non differre autem priores à posterioribus nisi modo & habitudine quâdam, exemplo liceat docere. Calor v. g. piperis & qualitas patibilis est, & habitus piperis, & ejusdem potentia calefaciendi. Res unica positiva & absoluta est calor, ideoq; vera species qualitatis.

XIIII.

Hic calor ex modo, quod firmiter inhæret, dicitur habitus: ex habitudine ad aliud externum, quod calefacere potest, dicitur potentia.

XV.

Hinc etiam §. Metaph. t. 17. & 19. Ubi de Qualitate agit Philosophus, potentiam inter qualitates non numerat. Et 1. Cœli t. 21. docet habitus & dispositiones non fieri sine mutationibus secundum passiones in terra specie qualitatis.

XVI.

Quinimò §. Metaph. t. 19. disertè inquit: ἀρετή δὲ καὶ κακία τῶν παθημάτων μέγιστα. Virtus & vitium, hoc est, habitus passionum quædam pars sunt.

XVII.

Id quod tamen materialiter tantum, & secundum fundamentum habituum capiendum est, non formaliter, seu secundum ipsas habitudines, aut denominandi modos.

XVIII.

Inquies: hoc ipsum diversum formale satis esse ad inducendas novas species, quamquam res sit una & eadem? Fateor. At habitum & potentiam secundum formale illud, hoc est, eos, quos dixi, modos & habitudines



rudines ad qualitatem propriè pertinere, istud verò est,  
quod pernego.

XIX.

Docetur hoc ex 7. Phys. c. 3. Ubi ostensurus Philo-  
sophus in habitu non esse motum, id concludit ex eo,  
quia omnes habitus sint eorum, quæ ad aliquid sunt.  
Quæ autem talia sunt, ea nec generationes esse, nec  
generationis per se terminos. Idem de potentia di-  
cendum.

XX.

Sed intra septa nostra redeun lo, singulas nunc  
qualitatis species ordine videamus, omisâ brevitatis  
studio variarum, quas quæq; vox earum continet, si-  
gnificationum enumeratione, quasq; aliàs Aristotelis  
Interpp. satis accuratè distinxere: nominatim Suare-  
zius, tom. 2. Metaph. disp. 42. sect. 3. ad quem Studio-  
fos nostros remittimus.

XXI.

Habitus igitur hoc loco Aristoteli est qualitas fixa  
& difficulter mobilis à Subjecto. Ut habitus canendi,  
saltandi &c.

XXII.

Differt à Dispositione solâ firmitudine. Hæc enim  
ἀκίνητος ἐστὶ, καὶ ἀμετέβολος facile subjecto suo cedere  
& mutari potest, ut Continentia, incontinentia: Ille  
ἄσθενέστερος, μονιμώτερος ἢ δυσκινήτερος, id est, diuturni-  
or, permanentior & mutatu difficilior. Ut temperan-  
tia, Justitia &c.

XXIII.

Quod discrimen cum merè accidentarium videa-  
tur: impetrare à nobis hætenus nondum possumus,  
ut sen-

ut sententiæ subscribamus eorum, qui specificam aliquam inter habitum & dispositionem differentiam constituere.

XXIV.

Altera species appellatur *Potentia & impotentia*, estque quædam qualitas, per quam apti aut inepti reddimur ad aliquid faciendum, nihilque patiendum; vel à naturâ, cujus solum hoc loco meminit Aristoteles, tanquam eximioris & notioris: vel acquisitione & studio, id quod hic non excluditur, licet non exprimatur.

XXV.

Faciunt hæc duo unam solum speciem, non quod, ut vult Ammonius, omnis potentia ad hoc, sit alio respectu impotentia ad aliud: nec etiam, quia impotentia sit potentiæ privatio: Sed quia & ipsamet est potentia quædam positiva, debilis tamen & infirma. Ut hebetudo ingenij ad percipiendum.

XXVI.

Hoc ut innueret Philosophus, impotentiam dixit non id, quo agere non possumus, sed quo ægrè aut non facilè. Facile autem & difficile speciem non variant.

XXVII.

Tertia species est *Patibilis qualitas & passio*, quæ dicuntur tales, vel quod passionem in aliquo sensu efficiunt. Ut dulcedo mellis afficit gustum: vel quia sunt effectus passionum, aut receptiones qualitatum cum passione subjecti; sive à primâ statim origine, sive postea acquisitæ sint.

Diffe-

XXVIII.

Differunt inter se patibilis qualitas & passio tantum duratione. Si enim difficulter mobiles sint, & habeant esse factum & permanens, dicuntur patibiles. Ut candor cygni, nigror æthiopis &c: Si verò fluant tantum, & citò transeant, dicuntur potius πάθη aut passionēs. Ut rubor ex verecundiâ contractus, pallor ex metu.

XXIX.

Neq; verò in corpore tantum, sed & in animo spectantur. Iracundia enim nativa aut consuetudine contracta est patibilis qualitas, quia diuturna. Ira autem vel irascentia ex subito casu est passio, quia citò transit.

XXX.

Excluduntur autem passionēs ordine qualitatis, quia propter temporis brevitatem & subitaneum earum motum non denominantur *Quales constanter*; aut, ut Ammonius hîc loquitur, *ὅτι ἀναμύει τὴν προσωπεῖαν ἢ μεταβολή* h. est vix durat mutatio, dum verbis eam eloquaris. Revera tamen sunt qualitates, sed fientes.

XXXI.

Quarta & ultima qualitatis species, est *Figura & Forma*, inter quæ duo, quid sit discriminis, variè quæsitum est ab interpp. Ammonius figuram à formâ distinguit latitudine, quod illa rebus inanimatis & animatis: Hæc animatis tantum tribuatur.

XXXII.

Hodiè usus & consuetudo in scholis obtinuit, ut figura peculiariter Mathematicis corporibus tribuatur.

B

cur.

tur. Utut sit, per formam nos & figuram intelligimus  
hic non essentialem & internam, sed τὴν πρὸς ἕκαστον ὑπάρ-  
χουσαν μορφήν, hoc est, externam & superficialem cujus-  
que corporis speciem.

XXXIII.

Hæc vel naturalis est, quam natura: vel artificialis,  
quam ars introducit. Hujus generis sunt v. g. figura  
rotunda cœli, forma externa plantæ, hominis &c: Il-  
lius verò omnes formæ atq; figuræ arte introductæ.

XXXIV.

Fuit hæctenus prima capitis pars. Sequitur altera  
de naturâ *qualium*, quæ à Philosopho describuntur,  
quod sint, in quibus qualitates dictæ insunt.

XXXV.

Sunt verò ista trium generum. I. genus ea consti-  
tuunt, quæ denominantur ab abstractis nomen expres-  
sum habentibus. ut à Justitia justus, à sapientiâ sapiens.

XXXVI.

II. Quæ à re ipsâ potius, quàm ab aliquo nomine  
abstracto denominantur, cum eorum qualitas sit ἀνώ-  
νυμος: Ut δρομικός aptus natus ad currendum: πηλικός  
aptus natus ad certandum, quæ non habent abstra-  
ctum, à quibus denominari possint.

XXXVII.

III. Quæ sunt diversi nominis à suis abstractis, &  
tamen ἰσδύναμον appellationem habent. Sic ἀπὸ τῆς ἀρε-  
τῆς à virtute, non dicitur aliquis ἀρεταῖος, virtuosus, sed  
σπυδαῖος, id est, bonus.

Quomo-

XXXVIII.

Quomodocunq; autem appellentur qualia, semper tamen denotant qualitatem aliquam in subiecto, ne quis fortè cum Fr. Hottomanno errans ad prædicamentum substantiæ talia referat.

XXXIX.

Succedunt consequentia. Quorum primum est: Qualitates & qualia habere contrarietatem; Ut calori contrarium est frigus, nigro, candidum &c: Excipit Philosophus figuras & colores intermedios.

XL.

De figuris facilè quisquam hoc largiatur. De medijs coloribus inde constat, quia illi ex participatione utriusq; extremi dicuntur orti. Qui autem tales sunt, contrarietatem non admittunt; nisi fortè in quantum alterum extremorum in illis prædominatur: quâ ratione unum extremum alteri contrariari absurdum videri non debet.

XLI.

II. Qualia recipere magis & minus. Fluit hæc proprietas ex priori. Nam, ut Ammonius *ὅτι ἐναντιότης ἴσως εἶται, καὶ ἡ τ' ἐναντιῶν μίξις: ἐκεῖ καὶ τὸ μέλλον εἶ τ' ἦν.*

XLII.

Cæterum advertendum hîc est, Aristotelem non frustra qualibus, non verò qualitatib' hoc consequens assignâsse. Hæ enim, sicut & omnia accidentia abstractè considerata, cum nudum εἶναι & simplicem rerum essentiam notent, cui nihil addi potest aut adimi: non etiam intendi aut remitti possunt.

Tertium

XLIII.

Tertium, idque propriissimum qualitatis consequens est: Secundum solam qualitatem res dici propriè & immediatè similes aut dissimiles. Similia enim sunt ea, quorum qualitas est una: Dissimilia, quorum diversa. 5. Metaph. t. 15. t. 20. Atq; hæc quidem de naturâ Qualitatis non nimium delicatis sufficiant.

FINIS.

---

PARERGA.

I.

*Magis & minus variant speciem) (non variant.*

II.

*Raritas, densitas &c. ad qualitatem pertinent) (non pertinent.*

III.

*In sempiternis non datur potentia propriè sic dicta.*


FINIS.







ntis e  
denti  
quan  
ira a  
um  
ciam  
o, qu  
num  
e uti  
igi a.  
tia/  
er. C  
s. At  
ratic  
nor,  
clufi  
intel  
entia  
isten  
z vid  
runt  
r cor  
orun  
non  
oque  
partie  
plius  
ic adl  
on pe  
lentic  
a qua  
ciden  
eria  
de ho  
lam a



DISPUTATIO LOGICA  
DE  
PRÆDICAMENTO  
QUALITATIS,

*Quam*  
JUVANTE DEO,  
PRÆSIDE  
M. JOHANNES KOBIO, Logi-  
ces & Metaphysices in Academia Altorphi-  
na Norimbergensium Professore Publico, &  
p. t. Collegij Philosophici  
Decano,

*Publici exercitij causa defen-  
dere conabitur*  
JOHANNES GABRIEL Müller  
ALFELDO-NORICUS.  
*Ad diem 23. Martij.*  
ANNO M. DC. XXIIII.



ALTDORFII,  
*Typis exscripsit Balthasar Scherffius,*  
*Universitatis Typographus.*

X 150 (7)